



Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

§. I. Quid & quotuplex sit Anima?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

§. I.

Quid & quotuplex sit Anima?

Anima definitur ab Aristotele: Actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis. Dicitur *Actus primus*, hoc est, forma substantialis, quæ sit aliarum secundarum & accidentalium radix, vel effectiva vel exigitiva, adeoque ipsa prior sit, saltem prioritatem intentionis, dignitatis, & perfectionis, actuans seu informans aliam partem, aut saltem ad illam aliquando informandam ordinata. Dicitur 2. *Corporis naturalis*, hoc est, compositi Physici substantialiter completi à natura intenti, cujus ipsa est pars intrinseca, dum partem informat aliam. Dicitur 3. *Organici*, quia corpus illud debet habere saltem inchoative vel radicaliter organa, seu instrumenta ad functiones vitales necessaria, quæ exiguntur ab anima. Dicitur 4. *Potentia vitam habentis*, id est, vitam in actu secundo, seu operationes vitales, quas corpus, seu compositum illud substantialiter completum potest elicere & recipere: nam in actu primo compositum illud naturale est per animam actu vivum.

Anima dividitur in vegetativam, sensitivam, & rationalem. Ratio petitur à diversis operationibus vitalibus: quædam enim, uti plantæ, solas habent operationes vegetativas: alia, uti bruta, etiam sensitivas: & homo simul etiam habet rationales; ergo cum triplicis generis operationes vitales diversis in suppositis inveniantur, totidem principia, seu animæ assignandæ sunt.

§. II.

De unitate & distinctione Animarum.

Duplex hic est error crassissimus, quem retulisse, refutasse est: alter Averrois, qui volebat, unam in omnibus esse animam; alter Pythagoreorum, qui docebant, omnes animas ejusdem esse rationis, & de uno corpore in aliud transmigrare, quam migrationem Græci *Metempsychosin* dicunt, ita ut anima, quæ hodie ratiocinatur in homine, cras mugiat in bove, rudat in asino, coaxet in rana. Errorem hunc sequuntur adhuc hodie Brachmanes Indi; hinc cæci illi beatissimam se morte defunctos putant, si vaccæ caudam manu tenentes, efflent spiritum, rati, hac ratione animum in vaccam intraturum, nobiliorem haud dubie sedem, quam si in vilis animal ingrederetur. Primus error jam refutatus est, ubi ostendimus, non dari animam toti mundo communem, atque etiam damnatus est in Conc. Lateranensi.

Secundus quoque error per hoc refutatur, quod ex constanti & stabili proprietatum, atque operationum diversitate arguamus in distinctis suppositis diversas radices sive principia; sed in homine, bruto, & planta, imò inter ipsa bruta & plantas datur ingens & stabilis hujusmodi diversitas: ergo diversæ sunt radices seu animæ. Confirmatur ratione Aristotelis, quia quemadmodum ex diversitate officinarum, instrumentorum, & operum diversitatem colligimus artium; ita ex diversitate corporum, organorum, & operationum diversitatem colligimus animarum.

Quæstio tamen non ignobilis agitur de hominum animabus, an nempe istæ